

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

Sustine & abstine. Emblema XXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

A'vexx καὶ ἀπέχεσθαι  
Sustine & abstine.

## EMBLEMA XXXIV.



**E**T toleranda homini tristes fortuna ferendo est,  
Et nimium felix saepe timenda fuit.  
Sustine (Epicetus dicebat) & abstine. oportet  
Multa pati, illicitis absq; tenere manus.  
Sic ducis imperium vincetus fert poplite taurus  
In dextro; sic se continet à grauidis.

## COMMENTARI I.

1. **A** Vaccis grandis, & armentorum grege pascuo bubulcus taurū respicientem segregat, in quem verberibus lauire videtur. Et quamvis epigramma de poplite vincito dicat, tamen hoc loco illud non exprimitur.

II. **Tauri**  
Symbolū.  
SVMPVTVM est Emblemata ex Oro Apolline in libello de Hieroglyphicis, vbi de

tauro sic ait: Hominum dubiæ & instabilis temperantiæ significare volentes, taurum pingunt genu dextrum ligatum; sic enim non coit. Alciatus ut hoc ob oculo; poneretur, *συβολικὸν* adiecit, nepe taurum robotis excelsi, patientissimum & abstinentissimum animal. Aegyptij enim, sacerdotes cum fortem & temperantem signi-

significare vellent, taurum valetudinis in-  
tegra pingebant. Onerum enim & labo-  
rum omnium patientissimus est, arumnas  
nullas detrectat, instatq; operi herili quan-  
tumlibet. Sed & abstinens est, quippe qui  
post vacce conceptum cum illa non coeat,  
vt idem Orus lib. 2. Hieroglyph. & Pli-  
nius lib. 8. cap. 45. Vide Pierium Valer. lib.  
3. Hieroglyphicon. Sed vt paucis, quemad-  
modum Patientia & Abstinencia duæ vir-  
tutes sunt præ cæteris vtilis, sic ijs opposi-  
ta duo vitia, intolerantia nempe & incontinen-  
tia, multo omnium grauioræ & exi-  
toræ maximè dicebantur Epicteto (teste  
Gellio lib. 17. c. 19.) nempe cum aut ini-  
urias, quæ sunt ferendæ, non toletamus,  
neq; ferimus: aut à quibus rebus volupta-  
tibusque nos tenere debemus, non tene-  
mus. Itaque, inquit, si quis hæc duo ver-  
ba cordi habeat, eaq; sibi imperando atque  
obseruando curet, is erit plerunq; impe-  
cabilis, vitamque viuet tranquillissimam.  
Verba duo hæc dicebat, *εὐχρηστέον καὶ ἀπέχρη-  
στέον*. De aduersis æquo ani-  
mo perferendis, quædam Lactantius 6. c.  
18. & Plutarchus consolatione ad Apollon-  
ium; de abstinentia verò exempla longè  
multa sunt apud Valer. Max. lib. 4. cap. 3.  
Vide quoq; adagium, *Sustine & abstine*.  
Vtriusq; verbi vim expressit Horatius 4.  
Carm. 11.

*Vindex auara fraudis, & abstinens  
Ducuntis ad se cuncta pecunia.*

*Consulq; non vnus anni,*

*Sed quoties bonis atq; rebus*

*Iudex honestum prætulit vili, &*

*Reiecit alto dona nocentium Vultu.*

III.

*ET toleranda homini &c.* Aduersa for-  
tuna viro forti toleranda est. Huic respon-  
det verbum *εὐχρηστέον*. Adhortatio est ad pa-  
tientiam, cui simile illud Virgilii 5. Æneid.  
*Quidquid erit, superanda omnis fortuna  
ferendo est.*

*Et nimium felix, & cat.* ] Publii minus  
est is:

*Fortuna cum blanditur, captatum venit:*  
Tum enim maximè timenda est, cum val-  
de prospera putatur. Ergo idem Publius  
verè:

*Fortuna vitrea est, quæ cum splendet, fran-  
gitur.*

Horatianū hoc etiam vulgo tritū: *Sapius  
ventis agitur ingens Pinus.* quo videtur  
respexisse ad illa Herodoti, in Polymania,

*ὁρᾶς ὡς τὰ ὑπερέχοντα ἕα κεραινοὶ ἂ  
θεός, οὐδὲ ἴσθ' ὅσα τὰ ζεῦσαι. τὰ δὲ σπι-  
κρὰ οὐδὲ μιν κνίσει. ὁρᾶς δὲ ὡς ἐς οἰκί-  
ματα τὰ μέγιστα αἰετὴ δειδύρα, τὰ τοι-  
αῦτα ἐπισκῆπτει, βίλεια; φιλίαι γὰρ ὁ  
θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολύειν.*

Alexidis hoc laudatur:  
*καὶ ἐντυχῆ τίς, ὡς εἶοικε, προσδουῶν  
αἰετὶ τὴν δαί, καὶ μὴ τι πιστεύειν τύχῃ.  
Fortuna quamuis sit tibi prosperissima,  
Semper aliquid timeto, diffidens ei.*

*Epictetus.* ] Stoicus fuit natus Hierapoli Phrygiæ, seruus & claudus, cuius quidem  
mocum & vitæ tanta fuit admiratio, vt lu-  
cerna eius siccitibus drachmarum mil-  
libus penderetur. Circumfertur eius no-  
mine Enchiridion multis paradoxis refer-  
tissimum, quod eius auditori Arriano tri-  
buitur: continet libellus ille quasdam di-  
sputationes admodum vtilis & succinctas  
ad perturbationes animi cohibendas. Huc  
Politianus Latinitate donauit. Duos Epi-  
cteti de se versus citat Aulus Gellius lib.  
2. cap. 18. quos is sic Latinos fecit:

*Seruus Epictetus fuerat, qui corpore mancus,  
Pauperio pressus, charus eram superis.*

*Illicitis absq; tenere manus* ] Tmesis. id  
est, tenere manus abs illicitis, nam absque  
hic non est vna dictio, sed duæ constatæ ex  
prepositione abs, & copulatiua que, ne  
quis fallatur. Suadet itaq; continendas ef-  
se manus ab illicitis.

*Sic ducis imperium* ] id est, ductoris. *Tauri*  
Ægyptii cum indicarent hominem mode-  
stum, & qui facillè posset à male factis a-  
uerti, taurum genu dextro ligatum pingebant.  
Si enim dextro genu constringatur, ma-  
nusuetum se præbet, & vincula conse-  
quentem, Pierius eodem lib. 3.

*Poplite.* ] Poples, genu est curuatura, *Poples*  
pars genu opposita. Lucanus:

*--- nisi poplite lapsu  
Vltima curuati procederet ungula tauri,*

*Sic se continet à grauidis.* ] Huc perti-  
net egregium Aristotelis verbum *ἀτιμα-  
γελεί*, de tauro dictum, qui seorsum à vac-  
carum confortio & grege pascitur, id est,  
*ab armentatur.*

D V O B V S his verbis, *εὐχρηστέον καὶ ἀπέ-  
χρηστέον*. Philosopho Epicteto familiaribus, rota  
bene viuendi ratio cõprehendi potest. Pri-  
mò siquidem ad patientiam adhortabatur,  
qua quisque disceret tum aduersos fortu-  
næ casus, tum etiam laborem æquo animo  
per-  
verbis.

*Epictetus.*

*Tauri  
symbolo  
quid signi-  
ficetur.*

IV.  
*Philoso-  
phia epi-  
cteti duo-  
bus com-  
prehensa  
per-  
verbis.*



perferendum: altero, esse ab omni luxu, potissimumque; venero præcipiebat abstinendum. Quæ duo præcepta duobus hisce verbis comprehensa, sic Horatius illustravit:

*Qui studeat operam cursu cōtingere metæ,  
Mētra tibi fecisti, puer sudavit & alfit,  
Abstinuit Venere & Baccho.*

*Dantia.*

Itaque duo præcipuè nobis hoc emblemate proponuntur, tolerantia & abstinentia, 1. In tolerantia constans hominis animus agnoscitur, quando scilicet malis non cedit, sed contra audentior exsurgit. Vnica siquidem cōstātia hominem ab hominum communi fæce differentem maximè, & longè nobiliorem facit: quandoquidem, ut doctè cecinit Prudentius, omnibus alijs virtutibus, & societatem & auxilium suum fortis patientia misceat; virtusque omnis vidua sit, quam non patientia firmet. Grauius ad hunc sensum Horat. 2. Carm. 3.

*Equam memento rebus in arduis  
Seruare mentem, non secus in bonis  
Ab insolenti temperatam  
Laticia.*

Exemplo est Socrates, qui ea fuit æquanimitate, ut abeuntem domo, & redeuntem eodem semper vultu fuisse dicebat Xanthippe, morosa vxor. Stoici ergo *εὐπὸς τὴν ὑδρῶν* inducebant suis disputationibus, *τὴν ἀναγκαῖαν, & τὴν ἀπαθῆαν*. Et huc spectant Senecæ consolationes, & ferè omnes epistolæ, quibus tolerantia & sobrietas eruditis aculeis instillantur.

*Abstinentia.*

2. At quantum cōducatur abstinentia, quantasque habeat vires, pleni sunt auctorum libri, plena antiquorum monumenta: tam enim latè patet, ut per omnia omnium virtutum domicilia ferè locum sibi suo iure vendicat. Hinc apud Lactantium triplex statuitur virtutis gradus: primus est à malis operibus abstinere; alter, à verbis malis; tertius, à rerum malatum cogitatione. Notum est illud:

*Est virtus placitis abstinuisse bonis.*

Cui non malè conuenit Ciceronis illud Offic. 1. Bene Pericles, cum haberet collegam in prætura Sophoclem Poetam, hique de communi officio conuenissent, & casa formosus puer præteriret, dixissetque Sophocles: o puerum pulchrum, Pericles? At enim prætorem, Sophocles, docet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. Anacharsis Scythæ eo gestu reper-

tus est apud Solonem dormiens, ut altera manu pudenda, altera os obsignaret, continentia & silentij signa exprimens. Duo enim sunt in homine membra, quæ non nisi admodum difficulter edomari possunt, lingua nempe & genitalia. Itaque quod Anacharsis toto ætatis suæ tempore bellum voluptatibus indixerit, status eius inscriptum fuisse legimus, *γλώσσῃς ἡ γαστῆρὸς, ἡ δὲ διδύμῃ κρᾶτῆρ*. Quare cum sacerdotes Aegyptij frantum libidinibus imponendum esse suaderent, viri genitale manu cohiberunt & repressum pingebant. Referrem quæ de Alexandri Macedonis continentia ab historicis memorantur, qui nuptam mulierem attingere, neque Darij filias captiuas videre sustinuit, sed hæc sunt in ore omnium. Huc facit illud Horatii:

*Non possidentem multa vocaueris  
Reclis beatum, rectius occupat  
Nomen beati, qui deorum  
Muneribus sapienter uti.  
Duramque callet pauperiem pati,  
Piusque lero flagitium timet.  
Non ille pro caris amicis  
Aut patria timidus perire.*

Item illud *ἀπίχε* sic:

*--- Et per obstantes cateruas  
Explicuit sua victor arma.*

Nisi id primum conferre manis cum illo 3. Carm. 3.

*Iustum est tenacem propositi virum  
Non ciuium ardor praua iubentium.  
Non vultus instantis tyranni  
Mente quatit solida. ---*

3. Ex consequenti hic inculcatur quoque continentia coniugalis, taurus enim, ut & cetera animalia, post impregnationem cum compare non coit, solus homo in talem libidinem prurit, adeo ut *δεκαπραστος* mulier affectet concubitus quam mas, si vtero gerat, ut refert Cælius Rhodig. lib. 14. cap. 4. tunc enim semen cōceptum neruos mouet, & inde ardor conficationis innascitur. Videant igitur mariti quomodo hac in parte mulieribus morem gerant. Laudatur continentia Drusi, qui se vxori seruauit integrum, quamdiu versatus est in expeditione Germanica. Et Pescenius Niger ignarus tei Veneræ fuisse dicitur, nisi quantum liberis procreandis impenderetur. Claudian. 2. de laudibus Stiliconis, quo loci laudat pudicitiam Theodosij. *Hinc fuit ut primos in cōiuge disceret ignes,*

*Ordi-*

IV.

*Continentia coniugalis.*

Ordin; virum non luxuriante iuuenta ,  
Sed cum lege thori casto cum fœdere vellet .  
Obuius sese locus offert D. Hieronymi  
aduersus Iouinian, Inconcesum maritis

post conceptum fetum mulieribus iungi ,  
tum quod venter tumidus non subigatur  
sine periculo ; tum quod non suscipiendæ  
prolis causa coeatur .

In adulari nescientem .

EMBLEMA XXXV.



**S**CIRE cupis, dominos toties cur Thessalis ora  
Mutet, & vt varios quærat habere duces ?  
Nescit adulari, cuiquàmve obrudere palpum :  
Regia quem morem Principis omnis habet .  
Sed veluti ingenuus sonipes dorso excutit omnem ,  
Qui moderari ipsum nesciat Hippocomon .  
Nec seuire tamen domino fas : ultio sola est ,  
Dura ferum vt inbeat ferre lupata magis .

COMMENTARI I.

I. **P**INGITUR generosus equus cum suo equite, habitu & apparatu equestri, quem equus eleuatis anterioribus pedibus, quasi infessoris impatiens, excutere nititur.

EX Vlpiano Demosthenis interprete; hi

N storiæ

II.